

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9368

Auteur(s) : Guérin de Saint-Berthevin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1174

Lieu d'émission : Saint-Berthevin-la-Tannière

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Pour 10 livres du Mans et un cheval, Guérin de Saint-Berthevin donne son prè de Sept-Fontaines, confirme les aumônes faites sur son fief et autorise les moines à avoir un pressoir dans leur clos de la Gandonnière.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Arch. Nat., L 975, n° 1005.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° XXIX)

Texte d'après A

Episcopo et toti clero Cenomannensi omnibusque catholice ecclesie filiis Guarinus de Sancto Bertivino salutem. Notum vobis fieri volo quod ego pro salute anime mee et omnium antecessorum ac successorum meorum concedentibus uxore mea et fillis meis Gerberto, Alano, Geslino et Huberto et filo Gerberti Gurarino et filia Theophani dedi ecclesie et monachis Savigneii in perpetuam elemosinam totum pratium meum de septem fontibus liberum penitus et quietum concessi etiam eis omnes elemosinarum donationes atque venditiones quas habent in feodo meo a quibuscunque facte sint ipsis vel donate et eas omnes certis indiciis exprimere et designare curavi. Renerius de Bealveeir dedit eis unum arpentum vinee concedentibus uxore sua Petronilla et Hersende filia sua. Johannes Grossus concedente et principaliter faciente Ignoguenta uxore sua cum fratribus suis, Thoma Peloc, Rainaldo et Willelmo, dedit eis dimidium arpentum et habuit inde IIIor libras de caritate ecclesie. Thomas Peloc concedentibus fratribus suis Rainaldo et Willelmo et Ignoguenta sorore sua dedit eis dimidium arpentum et habuit C solidos de caritate. Radulfus Thomas concedentibus filio suo Johanne et filia sua Legarde et Roberto suo fratre dedit unum arpentum et habuit C solidos de caritate. Vivianus Boslenus et Johanna uxor sua concedentibus filio suo Willelmo et filiabus suis Maltilde et Burgeta et Guarino Thoma fratre Johanne dederunt dimidium arpentum et habuerunt C solidos de caritate. Guarinus Thomas concedente Johanna sorore sua cum supradictis filiis suis dedit eis dimidium arpentum et habuit C solidos de caritate. Infirmi de hospicio Sancti Juliani vendiderunt eis dimidium arpentum quod dederat ipsis Renerius de Bealveeir in morte sua et habuerunt inde sexaginta solidos de caritate. Paganus Osel cum patre suo Osel habitum religionis suscipiente concedente Amelina uxore sua et filiis suis Silvestro et Guarino dedit eis unum arpentum et habuit de caritate ecclesie unum pullum. Hodiardis Baudoini et filii

ejus Hugo et Matheus et Willelmus concedente Pagano Boitel fratre Hodiardis dederunt eis dimidium arepentum et habuerunt sexaginta solidos de caritate. Thomas Peloc et Osanna uxor sua concedentibus filiis suis dederunt eis unum quarterum et habuerunt XXXta solidos de caritate. Ermenguardis uxor Johannis Gesberti et filii sui dederunt eis unum quarterum et habuerunt XXXta solidos de caritate. Marcheant concedentibus filiis suis et uxore sua hersende dedit dimidium arepentum et habuit C solidos de caritate. Ego Guarinus dedi dimidium arpentum terre quod emi a Rainaldo Bovet et habui quantum pro eo dederam scilicet XXXta solidos de caritate. Aaladis filia Radulfi filii Renardi concedentibus cognatis suis Huberto et Willelmo filiis Andree dedit eis duo arpenta vinee et habuit VIII libras de caritate. Radulfus prepositus concedentibus filiis suis Hamelino et Radulfo et Thoma dedit eis campum de cruce et habuit C solidos de caritate. Durnadus Lechenevaceir concedente Fromundo fratre suo dedit eis censum ejusdem campi scilicet IIIes denarios et habuit de caritate ecclesie XIII solidos. Bernerius de Boeria concedentibus filiis suis Willelmo et Matheo dedit unum arpentum terre justa predictum campum ante portam monachorum et habuit C solidos de caritate. Johannes Chalopin et Gaido frater suus et Andreas de Teurei et uxor ejus concedentibus omnibus filiis et filiabus ipsorum dederunt eis tria arpenta supradicto contigua et habuerunt XII libras de caritate. Horum quatuor arpentorum donationem concessit Emma abbatissa Sancte marie Andegavis salvo censu suo scilicet IIIor solidos et habuit XXti solidos de caritate. Hodeardis Baudoini concedentibus filiis suis Hugone et Willelmo dedit dimidium arpentum et dimidium quarterum terre pro alio filio suo Matheo quando dedit eum religioni in doma Savigneii cujus donationem concessit Berrengerius Besier salvo censu suo scilicet VIII denarios. Gaudinus Rahier dedit tria arpenta terra quando se dedit religioni in domo Savigneii hujus dantionem concessit Petronilla neptis sua et habuit XXti V solidos de caritate ecclesie. Hanc etiam concessit Juhellus de Crapon salvo censu suo scilicet X et VIII denarios. Hec omnia monachis Savigneii concessimus ego et Agnes uxor mea et omnes supradicti filii et nepotes mei insuper et in clauso Gandonarie facere et habere pressorium et omnium vinearum suarum pressoragium et totius clausi Gandonarie dedimus de propriis vineis annuos census preter IIos solidos et dimidium quos cum sorore mea Adelea ego prius dederam Johanni Chaorchin in his omnibus nichil nostri juris vel servitii secularis nobis retinemus vel successoribus nostris sed tantummodo custodiam et defensionem et eternam a Domino retributionem habuimus autem de caritate ecclesie Savigneii ego et Gerbertus filius meus X libras cenomanensium et unum equum. Facta est autem hec mea donatio et concessio et confirmatio anno ab Incarnatione Domini M°C°LXXmo IIIto in domo mea apud Sanctum Bertivinum. Testibus Willelmo de Aceio, Hamelino de Laharc, Ivone filio Roberti, Hamelino famulo meo, Willelmo priore, Gaufrido monacho Savigneii, Johanne de Monsteriolo monacho Clarimontis, Rennulfo converso Savigneii et multis aliis.